PRAECONISATIO SERAPHICORUM 23. JAPON. MARTYRUM ORACULO SANCTISSIMI PII…

PRAECONISATIO

SERAPHICORUM 23. JAPON. MARTYRUM

ORACULO

SANCTISSIMI PII PAPAE IX.

PONTIFICIS MAXIMI

ORBI CATHOLICO FACTA

ROMAE.

POSONII, 1862.
TYPIS ALOYSII SCHREIBER.

GLorIosI IaponIae Heroes, Vt VIVI In CrVCe DILeXerVnt se, Ita et a Morte
non sVnt separatI, at VIVent aeternI!

Cum subit illius verissima noctis imago,
Qua mala fraus Roma pellere sancta cupit,
Cum repeto noctem, qua tot Plebi Amoena revellunt —
Labitur ex oculis sanctula gutta meis.
Nobilis impietas pia non passura potestas
Flamine dum diro sulcat in omne pium,
Nocte pluit longa in Cruce Clarum! dedecus omne,
In Te Gemma Gregis! MAXIME PAPA PIE!
Oblectamentis mulceri dum cupit omnis,
Qui vivat Christi nomine, rarus homo est,
Prandia cum Christo (si fandum) dividit ullus,
Esuriem nemo ferre, sitimque cupit,
Dum bona dat Deus, et rigat imbribus omne; —
At nihil in toto vilius Orbe Deo est:
Prodroma tunc coelo Crux irradiavit ab axe,
Tunc Deus evertit perniciale nefas! —
Civibus in Jappan, miratur, et orbis adhaeret
Enectis, vivis in Puritate Viris!
Pro Solatiolis fidum patientia Scutum:
Crux non concessae fit vice laetitiae!
Sic vincis technas, plus, iam vicisti Minantum
Laude Crucifixi qui Diadema geris!
Noctibus insomnis, fluidus prece, Jura Potentis
Spiritus arma petens, alleviatus habes.
In Cruce stat mortis penitissima summa laborum
Fratrum Seraphidum, qui moriendo sibi
Terno-viceni, et quisque necis collega fuere,
Unus et in coelis compar honorque simul.
Hos mundi fidei dum spes manifesta fefellit,
In Sanctis Crucibus visa, repta fuit.

Flevit enim, teloque suo prostrata ruit mors,
    Plena triumphavit prosperitate Salus.
Quisquilias inter fortes censentur Heroes,
    Quos ut abortivos mundus abhorruerat.
Securi modo laetitiis, et pace redundant,
    Isque expers omni limite plausus erit!
Ah quam servando Superos, via plana favori est,
    Atque inspectorem cordis habere Deum!
Fidere subsidiis hominum dementia summa est,
    Primaque Sanctorum credere cura, Deo.
Pervigil est Orcus, nec adhuc extinctus, adauge
    Viribus, ac hostes disce ferire tuos.
Nec dulcedo boni est irrefragabilis index,
    Nec rata sunt Superis, ah homo! chara tibi:
Omnia mortalium varie exercentia vitam
    Ceu Chalybis rictu singula puncta ruent.
Quisque crucem exantla hinc, sis non piger, illa ferentem
    Sufferet, et modico Palma labore venit.
O! Regio coelestis, et inturbabilis aula!
    O! miserae noctis nil habitura dies!!
Laeta Dies! tranquilla Dies! quam conscia recti
    Lux regit, in nullas evarianda vices!

Niteris incassum Petri submergere Navem,
    Fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis.

Pius 2-us Romanus Pontifex adjurato et Capitali inimico Christianitatis scripsit hoc distichon.